

Bibliothèque numérique

medic@

**Papillion, Nicolas - candidat / Mertrud,
Jean-Claude - président. - De fractura
cruris**

1766.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°19



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0019](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0019)

400 19
DE FRACTURA CRURIS.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. JOANNE-
CLAUDIO MERTRUD, Facultatis Artium &
Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgorum Academiæ
Socio, & in horto Regio, Anatomes & Chirurgiæ
demonstratore designato, tueri conabitur NICOLAUS
PAPILLION, Trecensis, in almâ Universitate Parisiensi,
Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati, 4^a. Octobris à sesqui-secundâ post meridiem ad
septimam. Anno R. S. H. 1766.*

PRO ACTU PUBLICO

ET


MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXVI.

T



DE FRACTURA CRURIS

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICAE

Quaestiones auctoritate & Praeside M. JOHANNIS
CLAUDIO MERRIVALL, Regis Chirurgorum Academiae
Chirurgiae Magistro, Regis Chirurgorum Academiae
Socii, & in hunc Regem, Anatomiae & Chirurgiae
Demonstratione designato, tunc coronatum NICOLAUS
PASTORIUS, Praeses in hunc Universitatis Parisiensis
Primum Praesidentem Magistrum

IN REGES CHIRURGICORUM SCHOLIS

De Schola M. Joannis a Jelline-secundis praesentatum ad
Primum Praesidentem Anno R. N. 1766.

THOMAS ACTUARIUS

ET
MAGISTER NATURALIS

Typis R. A. L. P. in hunc Regem Chirurgiae Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXVI

T



D. O. M.
DE FRACTURA CRURIS.
T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



REQUENTIORES inter & præcipuas ossium injurias fracturam nec immeritò collocaveris ; è terris enîm undiquè surgunt corpora dura, tùm agentia tùm resistantia, virumque supremi conditoris imaginem, sæpè sapiùs, turpiter collisum flebili darent letho, nisi labantis humanitatis salus, amicam porrigeret manum auxiliatrix Chirurgia. Omnes enucleare fracturas vetat angustior pagina : satis sit ut fœdè dirutas partes progressioni dicatas protegamus : omnes igitur contendemus nervos, crurisque fracturam, si non concinnè & eloquenter, exponere, saltem optimâ methodo curare conabimur ; morbi enîm non eloquentiæ leporibus sed artis auxilio curantur.

A

EX ANATOMIA.

Ossa Cruris duo sunt tibia & fibula : hoc teres alterum crassius, utrumque ferè triangulare dividitur in tres facies totidemque angulos ; hæc cingit periosteum, consociant ligamenta tum propria, tum communia, irrigant omnis generis vasa ; obtegunt muscoli, textus cellularis, tegumenta communia, &c.

CRUS in anteriorem, posteriorem, laterales, superiorem & inferiorem partem dividi hæud insolens.

SUPERIOR Cruris extremitas cum femore & genū coadunari amat, inferior pedi præest.

UNDECIM musculos pro motibus sibi vindicat hæc extremitatis inferioris pars : pro flexione quatuor nempe gracilem posticum, semi-tendinosum, semi-membranosum & bicipitem cruris ; hanc extendunt gracilis rectus femoris, vasti tum internus tum externus & cruralis : motibus utriusque lateris dum flectitur genu, inserviunt sartorius, musculus *fascia lata* dictus & popliteus. Horum præcipui femori incumbunt, & in curandâ cruris fracturâ minoris sunt momenti.

ANTERIOR tibiæ facies & interna ferè nuda, musculis orba ; periosteo, textu cellulari, fasciâ aponevroticâ tegumentisque communibus obvelatur ; undè Cruris gracilitas sicut & collisioni frequentior locus.

IN posteriore ac internâ facie cruris deprehenduntur musculi graviores, soleus & gemelli quorum corpora crassa firmaque furam præcipuè constituunt & in longum solidumque tendinem *Achillis* dictum desinentes, posticæ & inferiori parti prominentis tuberis calcanei affiguntur. Hosce musculos sectatur gracillimus, plantaris nomine. Horum ope fit extensio pedis.

SUB prædictis musculis incumbunt & alii minoris molis ; pedis, digitorumque motibus dicati : scilicet, 1° flexor communis digitorum pedis, 2° tibialis posticus, 3° flexor longus pollicis.

LATERALEM & externam Cruris faciem adimplent, 1^o tibialis anterior, 2^o extensor longus digitorum pedis, 3^o extensor longus pollicis, 4^o peronei, longus scilicet & brevis.

PRÆDICTAS partes cingit vagina aponevrotica aut potius tendinea, à fasciâ-larâ, sed imprimis à tendine glutei majoris femoris orta, ut ex eâ arctius compressi muscoli, plus habeant roboris, & in contractione constantiæ; quod elucidè comprobatur quibusdam in locis ubi deest aut levissima reperitur; ibi enim crassiores & potentiores musculos videre est v. g. in internâ facie cruris in quâ soleum & gemellos annumeravimus; in reliquis verò partibus strictior ac densior est. Musculos in plantâ pedis sitos sicut & extensorem brevem digitorum sive pedicem tanquam instituto nostro minùs congruos omittimus.

ENUMERATIS partibus sanguinem suppeditant arteriæ à Crurali emanantes: hæc autem, irroratis blando liquore femoris partibus ad poplitem pergit, ibique popliteæ nomen sibi vindicat: mox sparsis undiquè ramis tum articulationi genu, tum capsulæ ligamentisque rotulæ, multifariâ inter se communicantibus, dividitur in tres præcipuos ramos, quorum primus, arteria tibialis anterior, dictus, datâ per ligamentum inter osseum viâ, à posterioribus ad anteriora tendit, prædictoque ligamento incumbens, musculos tibialem anticum & extensorem pollicis ab invicem dimovet, usquè ad infimam Cruris partem, quâ lustratâ, pergit ad pedem ultimum. Posteriores popliteæ ramî, arteriæ tibialis posticæ & peroneæ nominibus insigniti, posteriores cruris partes serpunt: prior, musculos inter soleum & tibialem posticum, longum flexorem communem digitorum & proprium pollicis, vicinas partes rutilo liquore perfundit; sed præcipuè animadversione dignus est prædictæ arteriæ ramus, ductum osseum, in posticâ tibiæ facie situm, permeans, & in canalem medullarem desinens, ossi, medullæ ejusque membranis ministrans; hujus enim arteriæ labes, in curandâ Cruris fracturâ, summoperè pertimescenda, gravioribus accidentibus ansam, sæpissimè, præbet.

ARTERIA peronea postica posteriorem fibulæ faciem perlustrat, soleum inter & flexorem pollicis, quibus suppeditat ramos ad inferiorem usquè peronis partem; tandem tres prædictæ arteriæ, præmissis, inter se, variis communicationibus, versùs pedem

4

extremum progrediuntur, huicque sicut & digitis, stupendo naturæ miraculo, vitam largiuntur.

REDUCEM ex enumeratis partibus sanguinem vehunt duplicis generis venæ, cutaneæ quædam, aliæ musculares: priores in saphenas tum internam tum externam dividuntur & tegumentis communibus incumbunt; posteriores verò, arterias concomitari iisdemque nominibus insigniri gloriantur. Tandem in Cruralem majorem, versùs superiorem femoris partem, desinunt & exonerantur.

NERVI à Crurali antico & ischiatico: prioris rami saphenam intimam usquè ad malleolum internum, immò & ad extremum pollicis sequi solent; posterioris verò, arteriis venisque muscularibus uniti sensum motumque extremitati inferiori præbent: nec desunt vasa limphatica in glandulas inguinum tendentia.

EX CHIRURGIA.

SOLUTA cohæsió recens in osse, à causâ externâ & contundente, fractura audit.

MULTIPLICI modo spectanda venit Cruris fractura; differt enim essentiâ, sitû, figurâ, causâ & accidentibus.

RATIONE essentiæ, dividitur in simplicem, compositam & complicatam.

A sitû, superiorem, mediam, inferiorem, & quæ circâ juncturas sit, annumerare est.

FIGURA fracturarum multiplex: possunt enim ossa rumpi transversa, secundum longitudinem fissa dehiscere, directè aut obliquè cædi, dissilire in fragmenta, collidi, deprimi, contundi; &c.

LICET omnes fracturarum causas ab externis deducere soleant pleriquè authores, differunt tamen inter se, datâ ratione habitûs & humorum crasis; ossa enim scorbutò mollescere nemo nescit.

5

cit ; oblita prioris formæ , in insuetas mille figuras contorqueri docent rachitides ; levissimo impulsu , immò & proprii corporis pondere frangi , siphilide aut scrophulosâ lue affectos norunt omnes ; internas igitur & prædisponentes fracturarum causas admittimus.

IN externis quoque causis reperire est disparitates ; aliæ enim ab instrumentis ignivomis , aliæ à simpliciter contundentibus infliguntur.

QUÆDAM nullo stipantur accidente & simplices vocari solent : nec defunt quæ pluribus , & quidem gravissimis symptomatibus concomitantur , nempe vulnere , hæmorrhagiâ , luxatione , convulsione , musculorum dilaceratione , contusione , &c.

VISU , tactu , & auditu , diagnosi deducenda.

AB essentiâ , loco , figurâ , causâ & accidentibus statuenda prognosis.

HIS positis variam , pro diversâ specie , curandi rationem , nemo ibit inficias. Modo hâc , modo illâ , pro re natâ , uti therapciâ debet artis prudens.

TOTUM itaque opus absolvitur , si partes , debito situ approximatæ , idoneâ fasciatione contineri queant , accidentia præsentia debellari , futura præcaveri.

REDUCTIO & approximatio partium triplici momento perficitur , extensione , contra-extensione & coaptatione.


PARTES in juxtâ positione firmatæ , blandâ fasciatione indigent ; sed in omnibus fracturis eandem adhibere caveto : quæ enim in simplici congruit , in complicatâ nociva foret. In priori casu , splenio bifido , fasciis duabus , quatuor aut quinque ulnis longis , duobus digitis latis , & in opposita tendentibus , ferulis aliisque mediis partium fulcumento idoneis opus est. Et hæc est fasciatio circularis dicta.

SI fractura , vulnere , hæmorrhagiâ , contusione , luxatione ;

aliisvè gravioribus symptomatibus stipata; prædictâ fasciatione non contineri sinè damno queat, præmissis præmittendis, ad fasciationem quæ dicitur octodecim capitum confugimus, quò facilius cuilibet accidenti consulere, & amicum sauciatae parti levamen ministrare valeamus.

DENIQUE ossa deciduis quibusdam fragmentis dehiscunt, ad invicem sine turpi decurtatione approximari nequeunt; quid hæres? damno partis, salvum-ne facies caput hominis? virum-ne molestæ claudicationi committes? præstantiori opus esset auxilio: sed *hoc opus hic labor!* lugendo in hoc-cæ casû unica super est anchora salutis: sublatis fragminibus obviis, membrum in extensione & contrâ extensione continuâ stabiliendum; tunc vulnus levissimo apparatu protegendum; quod egregiè absolvitur ope machinæ, infra delineatæ, quam hujus-cè actûs præses, in Academiâ Regiâ Chirurgiæ, oculis subjecit & in horto regio publici Juris fecit. Natura opis suæ dives, feliciter ministrante Chirurgiâ, totum opus conficiet: jam foras eliminatis accidentibus, amico diætæ, Pharmaciæ & operationis concursu, spes maxima undiquè affulget; super est enim ut vulnus, ut artis est, obtegatur & ad optatam cicatricem conducatur.

F I N I S.



errore typographi sic in vase tabula Delineatur